Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm

Antverpiæ, 1637

S. Bavo Conf. 1. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

lacrimas credo dediſſe. *Ex Surio.*

Nemo quaſi concretis ſibi vitiis obſequatur, &, quod eſt criminis, eſſe putet naturæ; ſed ſumat cum Chriſto arma jejunii, criminum propellat impetus, proſternat caſtra vitiorum, ut de ipſo auctore mali, ſumat, Chriſto dimicante, victoriam. Diabolo victo, vitia nihil valebunt. S.Pet.Chryſ.Serm.11.

S. BAVO CONF. 1.*Octobris.*

ALiam aulam BAVO cum conjuge, aliam hâc demortuâ habitavit. Illa talis erat, qualem vetus nobilitas & è principe Francorum ſanguine origo commendabat; hæc qualem cælum laudat, quercus primò cava, mox cella hoc auguſtior quò anguſtior. Sed ſi illam priorem plures homines, hanc ultimam plures Angeli frequentarunt. Auriga verò, qui ad hujus ædificium lapides convehebat, quas diras BAVONI imprecatus eſt, ipſe ſenſit, cùm à dæmone ex equo, à rotis equorumq; calcibus vitâ ejectus eſt. Sed BAVO ut ſanctè ſe vindicaret, vitam reddidit. Intereà evenit ut in ſervulum offenderet, quem olim in alienam ſervitutem vendiderat. Veniam igitur oraturus ſupplex dominus mancipii pedes prehendit. Nec prius expiatam hanc noxam credidit, quàm domini tergum ſerviles manus virgis immaniter laceraſſent. Addidit alterum ipſe ſupplicium compedes, quibus lubens volens libertatem ſibi ademit. Ita ligatus vicit tamen quoties cum dæmone fuit (& ſæpè fuit) pugnandum. Victorem coronavit crux cælo delapſa, & caput multo ſplendore ambiens, quam ille ita ſalutavit: *Agnoſco glorioſæ militiæ meæ ſigna.* Morienti Angeli, imò Chriſtus præſtò fuit. Certè ſuprema verba BAVONIS illa